



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vnica Religione, Stvdio Catholicorvm Principvm, In  
Repyblica Conservanda, Liber vnus**

**Lens, Jean de**

**Coloniae Agrippinae, 1579**

**VD16 L 1181**

In Republica constituenda, vel instauranda, & conseruanda, prima[m] esse  
religionis habendam rationem. Cap. I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30005**

6  
IN REPUBLICA CONSTI-  
TVENDA, VEL INSTAVRANDA,  
& conseruanda, primam esse religionis ha-  
bendam rationem.

CAPVT PRIMVM.



VMAM Pompilium qui post Romulum regnauit, scribunt Titus Liuius & Plutarchus, ad continendam in noua re- publica multitudinem infra- nem atque imperitam, effica- cissimam hanc rationem existimauisse, si pri- mū deorum metū omnibus quā maximū iniiceret: qui cum nō facilē descensus in ho- minum animos videretur sine aliquo miracu- li commento, simulasse idcirco sibi cum dea Aegeria congressus nocturnos, cuius admoni- tu quæ acceptissima dijs essent, sacra consti- tueret. Impia quidem hæc erat superstitio, eo- rum qui dij non essent, velle metum iniicere, adeoq; sollicitē de colendis ijs, & eo quidē mo- do, qui acceptissimus esse posset, sacrorum institutione providere: sed ostendit tamen illius cura regis, cuius singularem in gerenda Republica sapientiam multa eius instituta declarant, quid sit imprimis ad stabiliendam pacandamq; Rempublicam comparandum, quantoq; sit opere elaborandum ijs rerum moderatoribus, qui Deum verum cæli terræ- que Dominum fide instructi norunt, vt in Re- publica illius imprimis honos curæ sit, cul- tus.

DE VNICA RELIGIONE. 7

rūsque eius constituatur sacrorum cæremo-  
 nijs quàm aptissimis, conuenientissimisque  
 tantæ maiestati. Cum enim sine legibus  
 nulla esse vera respublica possit, atque vt  
 neruis corpus, ita illa legibus firma confi-  
 stat, harum exordium ab ijs profecto su-  
 mendum est, quæ venerationem metum-  
 que præscribunt eius, qui primarius est rei-  
 publicæ moderator. Eam ob rem cum de legi-  
 bus Plato, & hisipis constituenda forman-  
 dæque ciuitate differeret, primo in loco po-  
 suit eas, quæ cultum, quæ orationem, quæ  
 sacrificia, & vt dicam summatim, quæ se-  
 dulam seriâque deposcunt diuini numi-  
 nis venerationem. Idcirco etiam Roma-  
 nam ciuitatem Valerius Maximus laudat,  
 quod omnia post religionem ponenda sem-  
 per duxerit, etiam in quibus summæ maiesta-  
 tis conspici voluit decus. Quapropter non  
 dubitauerunt (inquit) sacris imperia serui-  
 re, ita se humanarum rerum futura regimen  
 existimantia, si diuinę potētiae bene atq; con-  
 stanter fuissent famulata. Quod igitur in con-  
 stituenda primum republica, idem erit in ea-  
 dē post erigēda, si collapsa fuerit, perpetuoq;  
 retinenda, faciendum, vt de religione, qua sin-  
 cerissimè colatur Deus, prima semper cura  
 suscipiatur. Nam si vel propter regū ac prin-  
 cipū offensiones, vel etiam æqualium, fundi-  
 tus interdum ciuitates interiisse memoran-  
 tur: cur non id magis extimescendum est, ne  
 propter offensum neglectu religionis Deum,  
 (sine cuius benigno fauore nulla Respublica  
 stare)

*Lib. 4. de legibus.*

*Li. 1. ca. 1.*



staret) nec obstante quidem mortalium quolibet ope, subuertantur? Neque verò se hoc interdum facere, cùm offensis fuerit crebris & magnis prouocatus, ignorari voluit ipse, qui sic denunciaret per Amos Prophetam: *Ecce oculi Domini super regnum peccans, & cõteram illud à facie terræ. Neque hoc immeritò fieri, præsertim ob neglectam, cõtemptamue religionem, ipse quoque vidit prophanus Poeta, cùm scribit:*

*Hora li. 3  
Car. ode  
6.*

*Delicta maiorum immeritus lues  
Romane: donec templa refeceris,  
Aedeisq; labanteis deorum, &  
Fada nigro simulachra fumo.  
Dis te minorem quod geris: imperas  
Hinc omne principium: huc refer exitum.  
Di multa neglecti dederunt,  
Hesperia mala luctuosa.*

Offenditur enim Deus peccatis quidem omnibus, sed ijs magis quæ aliquam habent læsionem violationemque pietatis: at ijs maxime, quibus tanquam ex professo vera germanaq; Dei colendi ratio corrumpitur. Hoc namque perinde est agere, atque si quisquam regium apertè oppugnet honorem, & eum vel in dubium reuocet, vel neget esse deferendum. Qua profectò nulla grauior iniuria videri, nulla maior regibus existere solet offensio. Quoniam igitur Deo imprimis suus constare debet honos, hic autem gratus esse nõ possit, immò verò nec fit quidem honos, sed molestum onus iniuriæ, nisi vera religione deferatur, efficitur, in eo primum elaborandum

## RELIGIONE.

9

dum esse, vt ea teneatur ac floreat in Republica, falsis omnibus colendi rationibus adulerinisq; reiectis. Vera autem religio quæ sit, nõ id cuiuslibet hominis æstimandum est iudicio. Etenim si res aliæ minores multo, nõ cuiuslibet passim dijudicandæ creduntur: quid fieri poterit imprudentius insulsiusue, quàm si grauissima hæc maximæque omnium religionis causa, cuiuslibet decisione, quia se forsitan mentiatur esse præditum spiritu Dei, finienda putetur? Præposterum erit hoc profecto, nec ordinis perturbatissimi grauissimam poterit deformitatem effugere: si cum humanas res prudentissimi cuiusque censura constituendas esse fateamur, diuinas cuiuslibet passim arbitrio committamus. Diuinum plane sit oportet non humanum, & publicum simul non priuatum, & illustre omnino ac certum, non obscurum & imbecille de religione iudicium. Quo posteaquam semel est in Republica constituta & fundata ratio formatq; pietatis, nihil postea peregrinum, nihil nouum est recipiendum: tenendumque illud quod beatus Ioannes in epistola præcipit? Si quis veniat ad vos, & hanc doctrinam non affert, ne domo quidem illum exceperitis, nec Aue dixeritis. Et si fixis semel aliæ de re quacunque legibus, quæ contra fiunt, puniuntur, multo erit maiore vigilantia prouidendum, ne quid in religionem impune peccetur. Quis enim alioqui religionum finis? quis in commutando modus? quanam in re alia perturbatio & confusio maior? Atqui hæc vna res est (quoniã

*Epist. 2.*

nullum est à Deo munus tributum hominī  
 maius quàm religio) in qua consensionem, cō  
 stantiam, grauitatem, modum, ordinē, tran  
 quillitatem maximē deceat cōseruari. Ac sic  
 uti nemo bene cultum dixerit hortū, in quo  
 passim, euellente nemine, spinæ & vepres &  
 noxiæ herbæ succrescunt: ita nemo, nisi men  
 te captus, dixerit eam Rempublicam bene cō  
 stitutam & formatam esse, in qua prohiben  
 te nullo varij non modò suboriuntur, verūm  
 etiam incrementa capiunt cum vera pieta  
 te pugnantes errores. A quibus proculdu  
 bio superari sensim & obrui necesse est reli  
 gionem veram, quemadmodum ab vrticis  
 & infælici lolio dominante seges optima præ  
 focatur. Quis erit igitur iam bonus princeps  
 ac sapiens reipublicæ moderator, qui bene  
 consultum regno suo fore putet, si in eo plu  
 res religiones, pro quorumlibet arbitratu  
 Deum se quàm sincerissimē colere velle fingē  
 tium, liberas esse & inualescere patiatur?  
 Quòd si duas trēsue ex omnibus eligat, quas  
 suppressis cæteris liberas esse velit, primum  
 cur cæterorum qui alias sequuntur, naturali  
 libertati facit iniuriam? quid si illæ potius  
 quas repudiat, à spiritu Dei profectæ sint? Si  
 altera religio potest esse, cur non & tertia? & si  
 tertia, cur non & quarta & quinta? Sic enim  
 gentilitas cum ab vnius Dei maiestate disces  
 sisset, in ingentem paulo post deorū multitu  
 dinem distracta est. Quia reuera nulla erat ra  
 tio, cur, si præter vnum, aliud atque item aliud  
 poneretur, non & centum & mille alij consti  
 tue

tue.

RELIGIONE.

71

uerentur dij. Deinde parum id agit accuratè,  
 vt Deo satisfaciat, eiusq; quoad possit propul-  
 set iniurias: quando nec ab vno quidem pro-  
 fectas suas ipsius vel irrisionum vel maledi-  
 ctorum iniurias pati possit. Atqui hoc demū  
 veræ virtutis munus est, ad proprias quidē &  
 priuatas læsiones dissimulare, Dei verò contu-  
 melias cum prohibere possis, nunquā perfer-  
 re. Idcirco Helias propheta, vir indubiè man-  
 suetudine & patientiæ virtute perfectus, cum  
 propriæ personæ contemptum paruipēderet,  
 Dei tamen seuerissimè vltus est iniuriam: ig-  
 ne scilicet è cælo deuocato, cum à prophanis  
 hominibus contemptim & sine vlla Dei vene-  
 ratione, cuius erat propheta, ad regis nutum  
 descendere iuberetur. Homo Dei (aiebant) hec *Li. 4. Re-*  
 dicit rex: descende, festina. Ille verò: Si homo *gum. ca. 5*  
 (inquit) Dei sum, descendat ignis de cælo, &  
 deuoret te ac quinquaginta tuos. Nempe vt  
 exemplo funesti huius exitus vestri, cæteri  
 discant tam viles esse Dei seruos non debere:  
 quorum contemptus in eius cui seruiunt re-  
 dundat dehonestationem. Eiusdemque pro-  
 phetæ zelo sublatis sunt prophetae Baal qua-  
 dringenti quinquaginta, atque ad torrentem *3. Reg. 18.*  
 Cison interfecti, ne falsa & impia diutius re-  
 ligione, quæ per illos fouebatur, vnus veri  
 Dei producerentur iniuriæ. Porrò principes  
 ij qui ad suæ quidem maiestatis læsæ crimina  
 puniendi exertissimum gladium gerunt, au-  
 res verò ad multas grauesq; diuinæ maiestatis  
 iniurias clausas habent, vel linguas etiam ipsi  
 aut manus ad inferendum promptas: nonne  
 tibi

*Li. 3. Re-  
gū, ca. 11.*

tibi videntur hi dignissimi, qui vicissim & in proprij honoris, regniq; periculis à Deo negligantur. Hinc sæpenumero subditorum rebelliones aut finitimorum inuasiones, & eiectiones, vel cædes principum, euerfionésque regnorum extiterunt: quia Dei honorem & cultum proprijs posthabuere commodis atque honoribus. Iratus est (ait scriptura Dominus Salomoni, quod auersa esset mens eius à Domino Deo Israel, qui apparuerat ei secundo, & præceperat de verbo hoc, ne sequeretur deos alienos, & non custodiuit quæ mandauit ei Dominus. Dixit itaque Dominus Salomoni: Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, dirumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. Suscitauit quoq; Dominus aduersarium Salomoni Adad Idumæum de semine regio, & Razō filium Eliada, &c. Equidem hæc opinor sic esse conscripta, vt expressa lectaque de vno, de multis alijs etiam tacita cogitentur. Idcirco Traianus sub Valente magister militum, aduersus barbaras Gotthorum gentes missus, cum victus confususque rediisset, ob eamque rem molliciem ei Valens ac timiditatem obijceret, ille ingenti libertate: Non (inquit) imperator, ego sum victus, sed tu victoriã perdidisti cum Deo resistis, & illius auxilia Barbaris potius facis opportuna. Isaac etiam monachus ea tempestate virtutis nomine clarus, cum egredientem videret ad pugnam Imperatorem: Quò vadis, ait, Imperator, qui pugnas aduersus Deum, quem nõ habes adiutorem?

*Li. 8. tri.  
cap. 13.*

rem  
nia  
plu  
mik  
faci  
Val  
rica  
virt  
iust  
tur  
rem  
tris  
tes  
fcec  
Ma  
fug  
han  
Imp  
no c  
nan  
fius  
nof  
duc  
cref  
tus  
ber  
ricu  
infe  
gio  
sub  
exp  
hoc  
dus



RELIGIONE.

13

rem? Ipse enim contra te Barbaros mouit, quo-  
 niam & tu aduersus eum blasphemias linguas  
 plurimas incitasti, & qui ei sacra psallunt, do-  
 mibus expulisti. Quiesce ergo bellare, & ille  
 faciet bella cessare. Quin & frater, cum ab eo  
 Valens suppetias peteret aduersus vim Barba-  
 ricam, rescripsit, religiosum non esse talem  
 virum iuuare, qui Deo rebellis existeret: sed  
 iustum esse magis, vt eius superbia retūderet-  
 tur. Quid memorem Valentinianum iunio-  
 rem? nonne ille, qui acquiescens Iustinæ ma-  
 tris iam Arrianæ monitis, Arrianorum par-  
 tes adiuuaret, diuoq; Ambrosio infestus esset,  
 fœdam fugam Imperator facere coactus est,  
 Maximo rebelli persequēte? Namque illi post  
 fugam rescribens laudatissimus Theodosius,  
 hanc ob causam negauit esse mirum, si cum  
 Imperatore timiditas, vires verò cum tyran-  
 no copularētur. Sed eundem postea ad pater-  
 nam pietatem reuocatum, imperio Theodo-  
 sius restituit. Adiungam & aliud quiddam  
 nostris temporibus longe vicinius. Venceslao  
 duodecimo Bohemorum regi nunciabatur  
 crescere indies hæreticos: & conciones ac cœ-  
 tus frequentes contra auitam religionem ha-  
 beri: sed his ille neque iniurijs Dei, neque pe-  
 riculis ecclesiæ commouebatur. Pâtiebatur  
 insolentissimos sectarios cuncta in causa reli-  
 gionis pro sua libidine gerere. Et quanquam  
 subinde multitudine terrebatur, tamen cum  
 exploratum habuisset, se ab illis in concione  
 hoc nomine commendatum, quòd commo-  
 dus ipsis rex ac perfacilis esset, qui eorum no-

Theodo-  
 retus lib.  
 5. cap. 15.

Vide Ae-  
 neam syl-  
 uii histo-  
 ria Bohe-  
 mica ca.  
 35. 36. &  
 37.

ua

ua in religione studia minime perturbaret: ideoq; nec ad eum è regno deturbandum suscipi consilia oportere, id quod iam fieri & agitari cœperat, tum securus omnem cogitationem deposuit de sumendis armis ad eorū conatus reprimendos: planeq; (vt ait Aeneas Syluius) ex tepido frigid⁹ euasit. At cum pōst significaretur præualētib; hæreticis peti atque interfici magistratus, subuerti reipublicę ordinem, eius quoque coronæ proximum periculum impendēre: tum demum commoueri & de vindicta cogitare cœpit. Sed eheu serō nimium. Mox enim ex ira paralyfi resolutus est, paucisq; pōst diebus, frustrā imploratis cōtra regni sui hostes auxilijs amicorum, è vita excessit. Hæretici verō Bohemiam maximis cladibus affecēre. Ita profectō fit, vt cum religio Deusq; negligitur, vna cum religione & regnum, cuius retinendi cura præcipua est, amittatur. Idcirco Theodosium Augustum sic

*Epist. 25.* Leo Pontifex suis ex literis cohortatus: Cum ecclesię causa statum regni vestri agamus & salutis, vt prouinciarum vestrarum quieto iure potiamini, defendite contra hæreticos inconcussam ecclesię statum, vt & vestrum Christi dextera defendatur imperium. Eiusdem pontificis & illa sententia est, in epistola ad Pulcheriam Augustam: Quoniam res humanę aliter tutę esse non possunt, nisi quę ad diuinam confessionem pertinent, & Regia & sacerdotalis defendat autoritas.

*Iuxta*